

vel arte auferamus, sed permittamus et patiamur. Quod iuxta veterem consuetudinem ac libertatem ipsorum certi de eorum medio per ipsos vnanimiter ad hoc eligendi et deputandi illam teneant et conseruent. Quodque castrum Wysegradiense pro conseruacione ipsius Corone ab antiquo deputatum, ad manus ipsorum conseruatorum eiusdem Corone dari et assignari faciamus. Item promittamus, quod Morauiam, nec non Slesiam et Lusaciam vtrasque a Corona et Regno Hungarie non alienabimus, sed infra tempus redempcionis iuxta inscriptiones et obligaciones alias in dieta Olomucensi factas, ad ipsam Coronam Hungarie semper tenebimus, et si nos forte absque herede legitimo decedere contingeret, ita prouidebimus in uita, quod etiam post obitum nostrum ab eadem Corona et Regno infra tempus redempcionis sub aliquo colore vel via non alienentur. Et insuper elaborabimus et efficiemus, quod sex ciuitates, iuxta pacta et dispositionem in predicta dieta factam, instar illarum aliarum Prouinciarum se eidem Regno et Corone Hungarie inscribent et obligabunt, et superinde litteras eorum dabunt et emanari facient, illasque ad domum Thauernicalem Corone Hungarie reponi et assignari faciamus; si vero successu temporum prefata dominia a Corona et Regno Hungarie per illos, quibus iuxta inscriptiones et obligaciones superinde factas, competit, redimerentur, extunc illam totam summam pecunie ad manus conseruatorum Corone ad Wysegrad penes Coronam pro Regni necessitate conseruandam assignemus, tandemque ad defensionem et vtilitatem Regni iuxta voluntatem et Consilium dominorum Prelatorum et Baronum exponamus et conuertamus, et de ipsa pecunia preter voluntatem ac consilium et liberum expressumque consensum eorundem dominorum Prelatorum et Baronum nulla ratione disponamus quidpiam vel agamus. Item, quod ex quo prefatus condam dominus Rex Austriam et nonnulla castra et ciuitates in Stiria, Carinthia et Carniolia thesauro Regni Hungarie acquisiuit et obtinuit, ob hoc promittamus et nos obligemus, quod Austriam ipsam et cetera loca Cesaree Maiestati aut Serenissimo domino Romanorum Regi vel eorum heredibus absque speciali et expresso consensu et libera voluntate dominorum Prelatorum et Baronum nunquam restituamus, sed teneamus ad Coronam Hungarie defendamusque et tueamur contra prefatas Maiestates, nec aliqua mundi via ab Hungaria alienemus. Item quod cum dictis Maiestatibus absque consilio, consensu et libera expressaque voluntate eorundem dominorum Prelatorum et Baronum superinde non concordemus, et si forte contingeret, quod de eorum voluntate, consilio et annuencia concordia sequeretur, id totum, quod ex huiuscemodi concordia nostra veniret et cederet, si id terra aut dominium aliquod fieret, perpetuo ad Hungariam et eius Coronam annectamus, applicemus et inscribamus, si vero parata seu numerata pecunia fieret, illam totam summam ad manus conseruatorum Corone ad Wysegrad penes Coronam pro Regni necessitate conseruandam, assignemus, tandemque ad defensionem et vtilitatem Regni eiusdem iuxta voluntatem et consilium eorundem dominorum Prelatorum et Baronum exponamus et conuertamus, de ipsa autem pecunia preter voluntatem et consilium, ac liberum et expressum consensum eorundem dominorum Prelatorum et Baronum aliter nulla ratione disponamus. Item quod pro maiori parte in Hungaria maneamus, ut commodius faciliusque Regni necessitatibus consulere et prouidere possimus; cum autem causa requirente exire voluerimus, Regnum illud bono (in) ordine atque dispositione relinquamus vsque ad felicem nostrum reditum. Item quod dum in Hungaria manebimus